

Cinnamomi electi,

Macis . . . . . ana unciam semis :

Facta per diem digestionem, M. B. distilla ex alembico ad  
siccitatem.

## AQUA THERIACALIS.

℞

Radicum contusarum Contrayervæ Hispanicæ,

Serpentariæ Virginianæ,

Angelicæ odoratæ,

Zedoariæ ana unciam unam,

Theriacæ . . . . . uncias sex,

Aquæ Scordii,

Spiritus Vini rectificati . . . ana libras quatuor :

Triduo digerantur : tum alembico Aqua eliciatur M. B.  
fere ad siccitatem.

## CAPUT XII.

## DE SPIRITIBUS.

## §. I.

## ACIDI.

SPIRITUS ACETI, SEU ACETUM  
DISTILLATUM.

Vini Acetum ex terrea cucurbita vitreo capitello in-  
structa igne leni distilla, usque dum phlegma pro-  
dierit : tum aptato excipulo ignem sensim adauge, ut

V 2

aci-

30  
12  
—  
60  
30  
—  
90  
30  
—  
120  
30  
—  
150  
30  
—  
180  
30  
—  
210  
30  
—  
240  
30  
—  
270  
30  
—  
300

acidus Liquor, seu Spiritus proliciatur, cavendo ab empyreumate.

## SPIRITUS ALUMINIS.

Alumen rupeum tritum indatur fidili, vel vitreae loricatae retortae, cujus dimidia pars vacua maneat. Haec in furno reverberii collocetur, & igne leni eliciatur phlegma. Cum autem in excipulo albidæ nubeculae apparere, guttaeque acidi Liquoris erumpere coeperint, tunc mutato excipulo, & rite agglutinati juncturis paulatim ignis ad vehementem gradum augeatur, in quo insistendum, donec cessante fumo transluceat excipulum.

## SPIRITUS MELLIS.

**R** Mellis . . . . . libras quatuor,  
Arenæ siccae . . . . . libras duas:


Ex terrea cucurbita, cujus sextam circiter partem occupet materia, calore cinerum distilla, usque dum acidi Liquoris guttae extillare incipiant. Id Mellis phlegma repone; & recipiente iterum aptato ignem per gradus auge, flavumque Spiritum elice.

## SPIRITUS NITRI.

Nitrum siccum, & pulveratum, cum triplo exsiccatae argillae mistum, ex capaci retorta vitrea loricata, cui amplum excipulum adjectum sit, distilla in furno reverberii primum igne leni, dein ad secundum, & post horas aliquot ad tertium, & quartum gradum adaugeto, in quo insiste, donec Spiritus omnino stillare desierit.

Nota.

pag. 167




B

E



Bart. Ios. Tasniere incidit Taurini 1737.





*[Handwritten signature]*

N. Per Nitri Spiritum Camphoræ dissolutio fit, quæ Oleum Camphoræ vulgo appellari solet. Nimirum Camphora trita si cum duplo Spiritus Nitri in parvulo matraccio digeratur calore lenissimo, tota paulatim in limpidum Liquorem oleaceum convertitur, qui Nitri Spiritu subsidente supernatat. Liquor is per inclinationem a Spiritu separatus in vitreo vase obturato fervetur.

## SPIRITUS SALIS.

**R** Salis marini . . . . . libras duas,  
Argillæ . . . . . libras sex:

Utraque seorsum siccata, & pulverata commisceantur, & in capaci retorta amplo excipulo adjecto distillatio fiat, ut in Spiritu Nitri traditum est.

## SPIRITUS SULPHURIS.

Sit furnus figulinus A B C D, cujus cavitas inter ostium inferius E, & superius F ferreos bacillos habeat transversim positos. Supra furnum, cui plane congruat, collocetur vas vitreum G producto introisum recurvo margine, ex quo rostrum H prodeat in suppositam ampullam I inditum. Idem vas G in collum assurgat, cujus summæ parti laxo aptetur nexu amplum capitellum L lato, brevique rostro præditum, quod excipiatur in vitreo tubo M M. Hujus tubi media pars N instar vesicæ ampliata sit, fulcroque innixa, extremum magno excipulo O accomodetur, quod in pelvi P, quæ Aqua semiplena sit, insistat. His ita constitutis supra bacillos

los ferreos crucibulum Q ponito vivo Sulphure liquato accensoque plenum, cui xylina fila admista sint: tum ostium claude. Cum totum Sulphur deflagaverit, crucibulum aliud Sulphure, uti prius, repletum apponatur. In ampulla, in concavo vitrei tubi globo, in excipulo acidum Liquorem, seu Spiritum reperiēs, qui collectus, & in vase vitreo positus igne lenissimo evaporet ad quartæ circiter partis consumptionem,

## SPIRITUS VITRIOLI.

Vitriolo viridi ad albedinem calcinato media fere pars vitreæ retortæ, quæ tenaci, firmoque luto obducta sit, repleatur: tum retorta in furno reverberii collocetur, eique aptato amplo excipulo, & probe obseratis commissuris, succendatur ignis initio lenis, qui sensim ad quartum gradum augeatur; in quo gradu ad duos tresve dies persistendum; vel donec albidus fumus in excipulo nullus appareat. Stillatus Liquor in vitream retortam effundatur, & calore arenæ eliciatur phlegma, quod sepone: tum ignem paulatim auge: stillabit Spiritus, manente Oleo in retorta.

## AQUA FORTIS:

**R**

Nitri puri exsiccati,

Vitrioli viridis ad albedinem cal-

cinati . . . . . ana partes æquales:

Pulverentur, & una misceantur, atque ex retorta vitrea loricata, cui amplum excipulum adjectum sit, igne

igne reverberii per gradus adhibito distillentur, donec fumus erumpere desinat, & excipulum quasi perlucidum sit.

N. Si Aquam Regiam parare vis, pone in cucurbita vitrea Sal Ammoniacum pulveratum, cui sensim affunde triplum Aquæ Fortis: leni calore digere: tum decanta.

## §. II.

## SPIRITUS ACIDI EDULCATI.

## SPIRITUS DULCIS NITRI.

**R** Spiritus Nitri,  
 Spiritus Vini alcoholisati . . . . ana partes æquales:  
 Amplo matraccio Vini Spiritum immitte: paulatim Nitri Spiritum affunde: tum capitellum cæcum matraccio impone: indeque igne lenissimo arenæ ad horas viginti quatuor digere.

*Ad eundem modum edulcentur*

Spiritus Aluminis,  
 Salis,  
 Vitrioli.

## SPIRITUS DULCIS TARTARI.

**R** Tartari albi . . . . . libras octo,  
 Liquoris Tartari . . . . . libras duas,  
 Spiritus Vini alcoholisati . . . . . uncias sex:  
 Con-

Contuso Tartaro, & in matrarium colli oblongi indito affundatur Liquor Tartari: deinde ampulla inversa, (ut mos est) obturatum matrarium in fimo equino collocetur, digerendo per mensem, vel usque dum nigrescere Tartarum, ac putrescere incipiat: tum autem e matrario exime: loco tepido sicca: siccatum pone in vitrea retorta loricata, & Vini Spiritum injice, postea amplum excipulum apta, & igne primum leni, dein ad tertium, & quartum gradum adaucto distilla, donec nihil amplius prodeat. Refrigeratis vasis Spiritum ab Oleo per vitreum infundibulum separa, & in vase vitreo optime clauso reconde.

## §. III.

## SPIRITUS ARDENTES.

## SPIRITUS ABSINTHII.

**R** Absinthii, paullo antequam floruerit, collecti, &  
 contusi . . . . . libras triginta,  
 Aquæ tepidæ . . . . . triplum,  
 Fermenti . . . . . libras quatuor:  
 Absinthio in vas ligneum immisso Aquam affunde;  
 qua dilutum fuerit fermentum: vas opertum in loco tepido, & quieto repone, donec vinosus odor exhalet: tunc ex alembico tandiu distilla, dum prunis injectus Liquor flammam non amplius concipiat. Spiritus autem prolectus ter repetita distillatione, terque additis Absinthii floridi manipulis aliquot M. B. rectificetur.  
*Simi-*

DE SPIRITIBUS. 161

*Similiter parantur*

Spiritus ardentis Melissæ,  
Rosarum,  
Serpylli, &c.

SPIRITUS BACCARUM SAMBUCI.

**R** Succum Baccarum Sambuci fermentatione defæcati . . . , . quantum vis :  
Distilla M. B. donec Spiritus ardens elicited sit , qui  
rectificetur .

*Sic distilletur Spiritus Baccarum Ebuli .*

SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM.

Ex Cerasis nigris silvestribus bene maturis extrahatur Succus, & simul cum Nucleis contusis fermentescat, usque dum Vinosum odorem spiraret : tum a facibus per colum secretus ex alembico distilletur . Elicited Spiritus recentibus additis Nucleis pariter contusis bis rectificetur .

SPIRITUS JUNIPERI.

**R** Baccarum Juniperi . . . . libras quindecim ;  
Aquæ fontis . . . . . libras quinquaginta :  
Fermentescant dierum quindecim spatio : tum per distillationem ex alembico eliciatur Spiritus , qui adjectis ad uncias aliquot Juniperi baccis etiam contusis rectificetur .

## SPIRITUS VINI.

Vinum affunde alembico stanno illito, cujus dimidia pars vacua remaneat: capitellum cum refrigeratorio impone: tum igne lento distilla, usque dum prodiens Liquor flamma admota non ardeat.


Rectificatum habebis Vini Spiritum semel, iterumque repetita ejus distillatione ex alembico.

N. Spiritus Vini camphoratus efficitur, si Camphoræ comminutæ ad unciam unam in vase vitreo optime clauso dissolutio fiat cum Vini Spiritus rectificati libra una.


## SPIRITUS VINI ALCOHOLISATUS.

Supra furnum A pone vas æneum B Aqua semipletum, cujus margini alembicum C apta, in quo Spiritum Vini bis rectificatum infunde: alembico fistulam æneam D stanno oblitam committere, cujus crassitudo brachium, longitudo quatuor pedes æquet, æneumque habeat capitellum plumbatura conglutinatum cum refrigeratorio E, & longo rostro F Huic rostro aliam fistulam G pollicis crassitudine adjunges, & intromitte in fistulam inflexam H, quæ vasi I tanquam alteri capitello plumbatura colligata sit. Hoc autem capitellum instrumento tripede supposito ita colloca in cado, ut illius rostrum e foramine L prodeat: tum huic rostro lagenam M adnecte intermedio tubo inflexo N: Cadum Aqua reple: ignem æneo lebeti succende, & distillationem tandiu prosequere, quoad Spiritus in lagenam stillare perrexerit.


N.




Bart. Ios. Tasniere incidit Taurini. 1737.




Bart. Jos. Tasniere incidit Taurini. 1797.



Bohle, Tische, oder Kasten





N. Spiritum Vini tartarifatum efficies, si Sali Tartari in vas vitreum circulatorium indito Vini Alcohol affundas, & commissuris accurate obstructis igne arenæ lenissimo dierum trium spatio digeras. Hunc Spiritum tartarifatum defunde, & serva in ampulla vitrea probe occlusa.

SPIRITUS VINI ANTHOSATUS, SEU AQUA REGINÆ HUNGARIÆ.

**R** Florum Rosinarini recentium . . . libram unam,  
 Spiritus Vini alcoholisati . . . libras quatuor:  
 In vase vitreo rite obserato per diem naturalem macerari sine, tum ex alembico fere ad siccitatem M. B. fervente distilla. Liquorem distillatum novis additis Floribus rectifica.

SPIRITUS COCHLEARIÆ.

**R** Cochleariæ ante Solis ortum collectæ, atque incisæ,  
 Succo Cochleariæ,  
 Aquæ communis . . . . . ana libras sex,  
 Spiritus Vini rectificati . . . . . libras duas:  
 In alembicum refrigeratorio præditum indantur, & appposito excipulo, juncturisque occlusis extrahatur liquor ad medias. Huic adde  
 Cochleariæ recentis incisæ . . . . . libras tres:  
 Ex alembico M. B. fervente Spiritum elice, quem in ampullis vitreis subere, cera, & vesica obturandis reponere.

*Ad eandem normam distillantur.*

Spiritus Cherefolii,  
Nasturtii,  
Raphani rustici cum Radice  
derasa, & similia.

## SPIRITUS SAPONIS.

**R** Saponis . . . . . libras quatuor,  
Spiritus Vini rectificati . . . . . libras duas,  
Floris Solis . . . . . libram unam:

*Ex vitrea retorta igne arene moderato distillationem institue, tandiu producendam, dum Spiritus omnis prolectus sit, & guttæ Olei rubescentis exstillare incipiant.*

## §. I V.

## SPIRITUS, ET SALES VOLATILES.

SPIRITUS, & SAL VOLATILIS  
CORNU CERVI.

**C**Ornu Cervini scobem inde retortæ vitreæ loricatæ: in furno reverberii colloca: amplum excipulum apta: commissuras obstrue: tum igne moderato distillationem institue, & prosequere, donec Spiritus, & Sal volatilis ascendere incipiant: postea ignem usque ad quartum gradum sensim adauge, atque in eo insiste, donec albi fumi prodire desinant. Refrigeratis vasis excipulum amove, agita, ut ejus lateribus hærens Sal decidat. Hunc una cum Oleo,  
&

& Spiritu in matrarium oblongi colli effunde , ap-  
tatoque capitello cæco Salem volatilem igne arenæ  
lenissimo sublima . Sale exempto, atque in ampulla  
arctissime obruranda reposito, Spiritum ab Oleo per  
infundibulum separa , per chartam trajice , & re-  
conde .

*Similiter extrahuntur*

Sales , & Spiritus volatiles

Cranii humani ,

Fuliginis ,

Viperarum , &c.

### SPIRITUS, SAL, ET OLEUM CLARUM SUCCINI.

Succinum crasse contusum vitreæ , , vel fictili cu-  
curbitæ indatur , ita ut media cucurbitæ pars vacua  
remaneat : tum apposito vitreo capitello, cujus rostro  
parvulum excipulum adjectum sit, juncturisque ob-  
structis distilletur lento igne , per gradus sensim au-  
gendo, dum Sal capitello adhærere , Spiritusque , &  
Oleum clarum in excipulum exstillare incipiant :  
tunc ab igne cucurbitam remove , qua refrigerata  
Salem capitello , & cucurbitæ lateribus hærentem  
exime . Aptato rursus capitello , & excipulo, junctu-  
risque agglutinis , igni moderato cucurbitam com-  
mitte , donec Sal , & Oleum ascendant : vas ab igne  
iterum amove : frigesce re per mitte : Salem exime ;  
idque toties repete , dum Sal , & Oleum clarum om-  
nino elicatum sit . Tandem Spiritum ab Oleo per  
infundibulum separa , & in vitreis ampullis subere ,  
&

& cera obturandis seorsum repone. Caput mortuum in cucurbitæ fundo superstes asserva.

N. Ex duobus modo memoratis Salibus simul permistis in hunc modum confici potest Liquor is, qui Cornu Cervi succinatus appellatur: videlicet

**R** Salis volatilis Cornu Cervi,  
Succini . . . ana drachmas duas,  
Aquæ Salviæ . . . unciam unam cum dimidia:

Matraccio inditis Salibus instilletur Aqua: sedato fervore obturetur matrarium, & ad integram Salium dissolutionem reponatur.

#### SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

**R** Salis Ammoniaci . . . libram unam, & semis,  
Calcis vivæ . . . . . libras quatuor:  
Separatim pulverata, dein commista, pone in vitrea capaci retorta: tum affunde Aquæ communis uncias octo, iterumque agitando commisce: hinc in arena retortam colloca: excipulum illico apta, juncturisque vesica agglutinatis quasdam partes volatiles ultro prodire finito: postea ignem succende, & paulatim auge, ut Spiritus omnis eliciatur, in vitreo vase rite occluso servandus.

#### SAL VOLATILE AMMONIACUM.

**R** Salis Ammoniaci,  
Salis Tartari . . . . . ana libram unam:  
In mortario marmoreo seorsum pulverata, tum simul  
mista

## DE SPIRITIBUS. 167

mista ponantur in matraccio oblongi colli, quod capitello cæco instructum sit. Sal volatile igne arenæ leni sublima.

N. Caput mortuum Aqua fervente dissolvatur: percoletur Lixivium: ad pelliculam exhalet, & in cella subterranea reponatur, ut fiant Crystalli. Habebis Sal febrifugum Sylvii.

### SPIRITUS, ET SAL VOLATILIS OLEOSUS.

**R** Salis Ammoniaci pulverati,  
 Salis Tartari . . . . . ana libram unam,  
 Olei essentialis Cinnamomi,  
     Juniperi,  
     Macis . . . . . ana drachmam semis,  
 Spiritus Vini alcoholisati . . . . . uncias sex:  
 Sales in mortario lapideo, Olea essentialia sensim ijs instillando, pistillo commisce: mistis, & matraccio oblongi colli continuo inditis Vini Alcohol affunde, & cæcum capitellum apta. Tum leni igne arenæ sublimetur Sal, quo exempto appone capitellum rostro præditum, atque ignem parumper auge, ut totum Spiritum educas.

### GUTTÆ ANGLICÆ.

Ex siccis, atque integris Bombycinis Folliculis per vitream loricatam retortam Spiritum, & Salem volatilem elice, uti in processu Spiritus, & Salis volatilis Cornu Cervi dictum est: tum

**R** illius Spiritus una cum Sale, rejecto  
 Oleo . . . . . uncias quatuor;  
     Spi-

Spiritus Vini alcoholisati . . drachmas quatuor ;

Olei essentialis Lavendulae . . drachmam unam :

In parvula retorta obturata diurno spatio digere, dein appposito excipulo, juncturisque vesica, & glutine obse-  
ratis, lenissimo igne arenae ad siccitatem distilla.

## C A P U T XIII.

### DE SALIBUS.

#### §. I.

### SALES VOLATILES.

*Vide superiorem §. de Spirit. & Salibus volatilibus.*

#### §. II.

### SALES ESSENTIALES;

#### SAL ABSINTHII.

**C**ollectum Absinthium paullo prius quam Flores  
emiserit, & in pila marmorea contusum, in vas  
fictile idoneum immitte: Aquae tantum affunde, qua im-  
mergatur: tum ad dies viginti tepido, & quieto loco  
repositum fermentescat: postea Liquorem prælo expres-  
sum quiescere sine; & cum faex subsiderit, defunde, per  
chartam cola, atque ad liquidi Syrupi consistentiam per  
evaporationem redige. Iterum percola ut antea, vasi-  
que